

INDEX LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCLXXX

AB DIE XV M. APRILIS

PUBLICICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

DE


LIBRIS PSEUDOLUCIANEIS

F. V. FRITZSCHUS

PRAEFATUS EST.



TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.



J. Bekkerum virum sane doctum et acutum nemo nescit plurimos codices diligenter contulisse, in critica arte prudentiam adhibuisse neque incondite vociferari solitum esse sed clauso labello recte cogitare. Memoriam et encomium viri M. Hauptius scripsit (in Opusc. III p. 239 sqq.), quem saepe ducem sequi licet, minime tamen quae scripsit omnia dilaudare. Recte Hauptius p. 245 Bekkerum editorem dixit graecorum maxime scriptorum volumina centum fere solum explevisse. Adeo Bekker quem prosae scriptorem non edidit? in quo edendo viam non ipse praeire voluit? cui priorum editorum debitam gratiam persolvit? quem denique aliis prius edendum reliquit? Enimvero de multis optime meritis est veluti de oratoribus atticis ferme omnibus si tamen Lysiam exceperis. Sed quum tot tamque spissa volumina ab eo edita sint, inepti sit credere in omnibus eum permultum efficere potuisse et nimis amici hominis, ea quoque quae carpenda sunt praedicare: in literis enim non auctoritas valet, valent argumenta. Tamen de Luciano Bekkeri adhuc tacui reverenter, postea quoque taciturus, ni hic ipse locus de dialogis suppositis nunc vocem me emittere cogeret vel invitum. Edendi igitur consilium ideo cepisse videtur, ut C. Jacobitium refutaret. Omnino enim Bekker ab Jacobiti editione a. 1836, quam ubique consuluisse videtur, saepissime maximeque recessit, quod ita recte judicasset, Jacobitium virum alioqui de Luciano perbene meritum tamen non eum esse, qui hunc scriptorem probe sciat recensere. Ipse Bekker leve quoddam *πάρεργον* pollicitus diserte edixit, non recensitum ab se edi Lucianum sed tantummodo ‚recognitum‘. Omni autem hac opera quam primum defungi voluit sensitque ab aliis consiliis ad tantas res sese transilisse omnibus fere rebus (praefiscine) imparatum. Nam neque codices nisi aliorum ope comparatos adferre ullos poterat, neque Lucianum ipsum antea tractaverat, neque omnino ‚festivissimo scriptori‘ tristities Bekkeri conveniebat praesertim jam senis: annos enim tum habebat octo et sexaginta. Hinc tantopere festinavit, ut nullum (nisi forte bis terve) editorem ac ne Hemsterhusium quidem adiret, nullam denique editionem praeter duas inspiceret, Jacobiti eam quam supra diximus et Schmiederi. Etenim typothetis describendam tradiderat editionem habilem admodum et parvo parabilem, ‚Schmiedermanam‘, quam ipse hic illic correxit, sed nimis saepe retinuit integram. Nolo hic repetere, quae olim scripsi in Epist. Crit. ad Fried. p. XXIII sq., ubi de Schmiederi editione iudicium tuli aequissimum. Sed quum Schmieder nimis a Belino pendere solitus esset, accidit, ut etiam Bekker inscius haud dubie et invitus Belini vestigia saepe legat: atqui Belinus homo fuit extremi ingenii. Contra ea idem Schmieder, ut ego l. l. p. XXIV recte iudicavi, primus ingentem vim locorum e codd. Parisinis praeclare emendavit. Haec igitur laus uni Schmiedero reddenda est, non transferenda in Bekkerum, qui nihil aliud quam a Schmiedero bene inventa repetiit. Ceterum Bekkeri festinatio Schmiederum saepius tam caeco impetu secuta est, ut partim vera partim falsa eodem in loco ab Schmiedero sumere non dubitaret, cuius generis loci graviores infra proferentur. Alia esse fateor leviora, veluti quod p. 394 (Timone c. 14 fin.) Bekkeriana a Schmiedero bene mutuatur *ἄδixa τὰυτά σου* (addito σου), male autem *ἐναντία* pro *τὰ ἐναντία*, ne plura huiusmodi adiciam. Altera editio, quam gnaviter ille versarat, est Jacobiti, qui multa parum graece dicta planeque barbara e codd. receperat. Injuriam facerem Bekkeri, si negarem haec

vitia omnia tanti viri manu nutuque e Luciano rursum ejecta esse. His in locis Bekker Schmiederi lectionem sequi consuevit bene graecam et atticam, id quod in apertis scribarum vitiis nemo non laudabit. At vero est etiam, ubi Jacobitius in manifesto errore tamen ab vero longe propius absit quam ipse Bekkerus. Saepenumero enim Jacobitius bene viderat, Schmiederi lectionem utpote interpolatam et recentem probari nullo modo posse, ideoque bonorum codicum (in his omnium vetustissimi Vindobonensis B) mendas suffecerat. Contra Bekkerus, qui interpolationes ex aliis scriptoribus tollere solebat, tamen in Luciano sive quod parceret tempori sive laborem fugeret, plerumque ad falsam scripturam Schmiederi maluit confugere. Atqui talis tantusque criticus minime ignorabat, in archetypi mendis creberrime ipsius manum scriptoris latere eamque e tenebris omni ope eruendam esse. Quamobrem ego in mea editione aut, ubicunque id mihi contigisset, ex antiquorum librorum vestigiis scriptorem ipsum restitui, aut si in eo frustra laborassem, saltem in adnotatione hoc diserte addidi, veram scripturam in antiquis codd. adhuc delitescere. Quae quum ita sint, Bekkeriana ex duabus editionibus, maxime quidem Schmiederi, tum etiam Jacobiti mire conflata atque permixta est. At, inquit, Bekkeri Lucianum emendationes haud paucae ornant ipsius Bekkeri et eae tanto viro minime indignae. Nempe sic praecipua laus hujus editionis plerumque ad conjecturas rediit ipsius Bekkeri, quae in unum omnes locum conjunctae plagulas implebunt paucissimas. Quod unum vix ac ne vix quidem satis causae esse debebat, quamobrem Bekker Lucianum ederet universum. Grave iudicium, non nego, sed (sicut Umbricius optime) ‚mentiri nescio, librum, ni bonus est, nequeo laudare‘. Haec eis dicta sunt, qui inepte toti pendent ab Luciano Bekkeri quum alii tum J. Bernaysius multis locis libelli haud contemnendi ‚Lucian und die Kyniker‘. Vixdum Lucianus editoris Berolinensis exierat, quum amicus juvenis elatus gaudio ita ad me scripsit verbotenus: ‚man kann sich auf Bekkers Ausgabe verlassen‘ et mirari coepit, quod ei mox alia omnia rescripsi. In universum tamen hujus critici editio fata habuit tristia aliorumque criticorum acerbitem experta est. Ipse G. Dindorfius, Bekkeri et amicus et vero imitator ante hos XX annos in nova Luciani editione haud multum tribuit Bekkero, Cobeti autem emendationes luculentas propagavit. Nam quum Bekkeri editio modo exiisset, paucis mensibus post C. G. Cobetus, criticus eximius neque ipsi impar Bekkero ‚Variae Lectiones‘ edidit, quo libro prope toto Lucianum Bekkeri aggressus est. Tum vero id Cobeto accidit, quod fieri in re nova solet, ‚laudatur ab his, culpatur ab illis‘. Ego diu adduci nulla ratione potui, ut de talibus criticis publice iudex sederem et nunc demum, quum prorsus necesse sit, non dubitabo quod res est dicere. Profecto enim multos Bekkeri errores in illa editione commissos Cobetus in Variarum Lectionum libro recte denudavit. Neque tamen de vera laude Bekkeri nostri quidquam detractum volo neque Cobeto etiam in eo adsentiri possum, quod in Varr. Lectt. Praefat. p. XX Bekkerum contendit divinandi facultate ‚minus valuisse‘. Sane ille quidem vanis conjectandi lusibus, quum facile posset, uti noluit, ratus id ab divinae Critices persona longe abhorrere. Verum enimvero millenae Bekkeri conjecturae aut summe probabiles sunt, aut certo certiores. Hoc enim omnes spero mihi credituros esse multosque scio in hac sententia constanter permansisse, velut Hauptium virum sagacissimum l. l. p. 246 sq. Et Lucianeas quidem emendationes Bekker partim senex demum reperit, partim earum, si quando Lucianus necessario conferendus esset, margini jam prius adscripserat annis melioribus. Attamen demonstrasse videor, operam in Luciano positam vix satis dignam fuisse, quae Bekkero totius scriptoris esse videretur ‚recognitio‘. Longius etiam progressus in Varr. Lectt. Praef. p. XX Cobetus Bekkeri Lucianum auguratur ‚cito peritum esse‘.

Sed quum criticae artis genus sit duplex, inferioris de quo supra dictum est et superioris, de genere altiore Bekkerum paullo melius promeritum esse censemus vel

idcirco quod justum dialogorum ordinem haudquaquam neglexit. Nam Lehmannus meus, ut ait in Praefat. p. XIV, etsi novum instituere ordinem voluerat, quo ordine singuli libri ab Luciano ipso viderentur editi esse: tamen temporum nota vel obscura vel etiam nulla deterritis abjecto hoc consilio ad vulgarem rediit ordinem et consuetum. At genuini libri et spurii vulgo sine ulla ratione confunduntur usque eo ut hi illos nonnunquam alternis excipiant. Itaque ego ante hos LIII annos laudato Lehmanni consilio tantum certe intellexi, adulterinos libros seorsim poni debere et in finem reici ideoque una cum ‚Quaestionibus‘ libros septem ipsius Luciani edendos curavi spurii omnibus plane exclusis. Quam rem etiam multo post in omnium operum editione collocatione vulgari saepe mutata constanter adhuc tuitus sum atque defendi. Sed ordinem Lucianorum idoneum, quem ego quidem probarem, satis habui, ubicunque res ferret, in annotatione clare indicasse, quod ipse eum sequi inopia codicum saepe prohibitus eram. Simulatque enim codicum collationes meo aere emtas acceperissem, hos potissimum libros correxi correctosque evulgavi; necdum editor justum ubique ordinem servare potui, qui vel animo designatus vel reapse ab me iniri coeptus erat. Quo magis hic repetam id quod alio loco dixi, verum ordinem e chronologico et eo qui argumentis rerum nitatur, mixtum esse debere et temperatum, ut olim vidit C. F. Rankius meus in egregia commentatione: ‚Pollux et Lucianus‘ p. 24. Bekkerus autem, qui illud more suo tacet se hic Rankii vestigiis insistere, vulgarem ordinem ausus est mutare eoque laudem meretur, vituperationem autem eo, quod modum in hac re longe excessit viderique potest summa miscuisse imis. Nam etsi singuli libri non eodem ordine sed alio in aliis codd. passim leguntur, tamen cum editione principe (Florentina anni 1496), ex quo fonte vulgaris ratio ducta est optimi quique codices, ut Vindobonensis B, Gorlicensis A, Vaticanus Γ alique saepe consentiunt. Quae apparet sua in sede relinquenda fuisse nec loco temere movenda, nisi praesens urgeret necessitas. Quin etiam ipse Bekkerus quatuor saltem librorum paria, primum ‚Βίων πρᾶσις‘ et ‚Αλιεύς‘, deinde ‚Ειχόνες‘ et ‚Υπὲρ τῶν εἰκόνων‘, tum ‚Ζεὺς ἐλεγχόμενος‘ et ‚Ζεὺς τραγηδός‘, postremo ‚Πῶς δὲ ἱστορίαν συγγράψειν‘ et ‚Ἀληθείας ἱστορία‘ suo in loco relinquere coactus est. Verum recte vulgo continui sunt duo alii libri (loquitur enim et clamat ipsa historia) alter ‚Περὶ τῆς Περσικῆς τελευτῆς‘ qui a Bekkero XXXXVIII numeratur et ‚Δραπέται‘, qui Bekkero est no. XXIX, iidemque etiam in codice quem Vindobonae ipse inspexi, in vetusto illo B fuerant continui, id quod nunc quoque certo intelligas priore libro ut constat dudum exciso. Dixi de hac continuandi necessitate et simul ostendi ‚Δραπέται‘ dialogum vere Lucianum esse in edit. mea Vol. II, P. II p. 236 aliosque adsentientes habui ut Bernaysium in l. ‚Lucian und die Kyniker‘ p. 106. Non minus recte vulgo continuantur dialogi ‚Προμηθεὺς ἢ Καύκασος‘ et ‚Θεῶν διάλογοι‘ brevique intervallo scripti esse ambo videntur. Quorum priori multae insunt Aeschyli imitationes, alteri I, 1 ab his verbis incipiunt Promethei: ‚Αὔσον με, ὦ Ζεῦ—‘, ita ut argumenta eorum arcissime cohaereant. Ambo enim e duabus Aeschyli tragoediis expressi sunt, una superstite ‚Προμηθεὺς δεσμώτης‘ deperdita altera ‚Προμηθεὺς λυόμενος‘, quae ambae ejusdem partes fuerant trilogiae. At Bekker quos dixi dialogos XVIII et XX numerari jussit, quum in medio interposuisset inferissetque ‚dialogos marinos‘ (no. XIX). Quod facinus qua de causa admiserit, nos latet latuitque ipsum fortasse Bekkerum. De aliis rebus, quae ad justum ordinem dialogorum spectant, infra dicetur: nunc quidem plura ejusmodi addere piget. Nam Bekker has res saepe ne potuit quidem intelligere atque ideo neque constitit sibi in proposito neque omnino quod voluerat adsecutus est. Imprimis vero in rebus historicis saepe erravit, quippe qui Luciani vitam literariam, varia ejus fata et multa alia quae ad illius aetatis spectant historiam, parum cognita haberet. Qui etsi chronologicum ordinem nimis neglexit, tamen ad argumenta librorum paullo magis attendisse videtur. Quum autem tot libros Luciano

primus ereptum ivisset, rhetorica, historica, philosopha, satirica opera conjungere omnino non potuit, nedum ordine justo disponere. Itaque Bekker exemplo suo docuit, quanto facilius sit falsa vituperare quam ipsum invenire meliora. Attamen in continuatione librorum quid potissimum secutus sit, ipse partim declarat in Praefatiuncula, quae (sicut Bekkeri pleraeque omnes) tam eleganter scripta est, ut F. A. Wolfi disciplinam facile agnoscas. Hic igitur primum Bekkerus queritur Luciani opuscula commoda quadam aut perspicua ratione nusquam distribui atque eo nomine ‚temeritatem‘ editorum graviter accusat. Tum ita pergit verbotenus: ‚postquam animum ad edendum appuli, inquit, nihil habui antiquius quam ut eam investigarem continuationem seriemque libellorum, quo alius ex alio nexus et omnes inter se apti colligatiue viderentur‘. Adparet summam rei verbis contineri postremis, illis quidem elegantissimis, quippe quae ipsius sint Tullii De nat. deor. I, 4 § 9 fin., ubi haec leguntur: ‚omnes ejus (Cicero dicit philosophiam) partes atque omnia membra tum facillime noscuntur, quum totae quaestiones scribendo explicantur: est enim admirabilis quaedam continuatio seriesque rerum, ut alia ex alia nexa et omnes inter se aptae colligataeque videantur‘. Ac Tullium quidem nemo reprehendet verissima professum, quum omnes partes philosophiae admirabili quadam ratione inter se connexae sint. At vero de satiricis scriptoribus profecto non idem quod de philosophis tenendum est, sed prorsus valet contrarium. Certe singulae partes uniuscujusque libelli apte inter se cohaereant necesse est: neque enim satirici delirabant sed mente praediti erant sanissima. Enimvero Bekker non de uno Luciani libello nescio quo sed de omnium serie loquitur atque in omnibus inter se conjunctis admirabilem quandam continuationem sibi videtur investigasse. Quo uno fundamento locato Lucianum prope totum a sedibus audet invertere. At Bekkeri satirici scriptores repugnant ad unum omnes, Horatius, Persius, Petronius. Adde etiam Juvenalem, qui primo libro I, 85 sq. scribit diserte: ‚quidquid agunt homines, votum timor ira voluptas, | gaudia discursus nostri farrago libelli est‘. Quamobrem nemo mirabitur, quod Bekkeri, qui ab tam falsis initiis profectus erat, nulla fere ex parte in Luciano contigit verum et certum libellorum ordinem restituere.

Haec omnia nobis praemittenda erant, ut via ad eas res muniretur, de quibus disserere hoc tempore proposuimus id est de libris qui inter Lucianeos sunt pseudepigraphis. Omnino hoc criticae genus tam difficile est tamque ambiguum, ut non modo summi viri crebro inter se dissentiant, verum etiam eidem interdum addito tempore ab semet ipsis deficiant atque desciscant. Enimvero in Luciano haec obscuritas eo augetur, quod etsi complures libellos constat spurios esse, nonnullorum tamen fides ejusmodi est, ut aliis criticis genuini aliis suspecti aliis denique adulterini esse videantur. Duae tamen res dubitationem nostram nunc valde minuunt nunc tollunt penitus, altera quod libri certo Lucianeis numero permulti aetatem tulerunt, altera quod dictio et atticismus Luciani tantopere sibi constat, ut ex eo ipso de opusculis suspectis certius paullo ferri iudicium queat. Sic quoque ego et juvenis et jam vir factus has quaestiones studui defugere neque eas nisi necessitate coactus unquam adtingere ausus sum. Nunc demum senex meam de tantis rebus sententiam explicare conabor nulla sane perficiendi spe sed experiendi voluntate.

Ac primum quidem ii critici rem acu tetigisse putandi sunt, qui nuper rationibus optimis adlatis singulos quosdam libellos ab Luciano abjudicarunt, sicut eum qui ‚Μακρόβιος‘ inscribitur, ob causas plurimas Rankius l. l. p. 16 sqq., deinde post alios criticos ‚Δημοσθένους ἐγκώμιον‘ Grauertus in l. Histor. u. philol. Analekten p. 289 sq. adnot. 80, qui argumento potissimum libri ducitur, postremo spurcum dialogum ‚Ἐρωτες‘ Cobetus in Varr. Lect. p. 117 et p. 257 vel ob dicendi genus minime Lucianum. Contra ea

Bekker tristi tantum nota (p. 153) praefixa ΑΛΛΩΝ ΤΙΝΩΝ spurios (ut ipse putabat) libellos tacito de Luciani corpore avellere maluit. Nihil enim e praefatione ejus discitur, in qua narrat sua opera et nova librorum transpositione exploratum esse „quid dignum Luciano quid indignum esset“. Quasi vero non omnes libros, quos genuinos esse negamus eo scriptore cui tribui solent dicamus indignos esse. At forsitan Bekker propterea jure suo tacuerit, quod eos tantum libros qui jam a plurimis inter spurios relati erant, ἄλλων τινῶν fuisse judicaret. Ergo id quoque, cujusmodi sit et quam late pateat, nunc videamus. Principio F. Jacobsius, qui criticus diu et multum in Luciano versatus est, quum alibi unum alterumve libellum (duo inquam, non plures) in suspicionem adduxit, tum in Appendice ad Porsoni Adversar. ed. Lips. p. 288, p. 290, p. 297 et p. 304 omnino quinque opuscula vel eorum partes ab Luciano abjudicavit, in quibus ipsis tria minimum insunt certo genuina, Necyomantia, Icaromenippus et Deorum concilium, similisque aliorum modestia criticorum reperitur. Hinc et Grodeckius in Hist. Graec. Lit. II p. 155 totam rem quasi leviores paucis tetigit (de aliorum librorum fi de, inquit, dubitatur ut de libello De dea Syria) ac tum quem supra dixi Jacobsi locum addidit, et vero Schoellius (in I. Geschichte der Griech. Literatur II p. 477 sqq. ed. Pind.) sex tantum libellos Luciani esse negavit, quatuor certa sententia dialogum Ἀλκυών (p. 477), Λούκιος (p. 486), Δημοκρίτους ἐγκώμιον (p. 492) et Φιλόπαιτρος (p. 493 sq.), duo autem non sine dubitatione Νεκρομαντεία (p. 479) denique Ἐρωτες (p. 485). Omnium longissime (Bekkerum hic semper excipio) progressus Dindorfius in praefat. ad Lucianum p. IX sq. duodecim libros ab Luciano scriptos esse negat additque, si omnis haec quaestio accuratius pertractata fuerit, posse fieri ut unum alterumque praeterea libellum Luciano suppositum esse appareat. Quae quum ita sint, sequitur quatuordecim summum opuscula pro spuris vel saltem dubiis habita esse. Verum enimvero J. Bekker quum ipsi Luciano LIII tantum libros reliquisset, ἄλλων τινῶν fuisse opuscula XXVIII narravit vol. II p. 153—450, narravit autem ut omnia, tacito. Atqui jam inde ab renatis literis hic mos legis instar obtinuit semperque valuit, si quis graecum aliquem librum vel latinum esse spurium judicasset, ut is cogeretur rationem reddere et argumentis opinionem suam defendere. Quae quidem lex si violetur neque mordicus ab omnibus retineatur, non modo de dignitate sed de salute literarum nostrarum desperandum est. Bekkeri ut liceat e Luciano ipsum tollere Lucianum? ut ille solus solo nutu et supercilio octo et viginti libros impune ejicere possit atque proscribere? Neque enim verbis sed verberibus studuit omnem hanc litem dirimere: si tamen lis est, ubi Bekkerus pulsat, Lucianus vapulat tantum. Et quanquam aliquid eum patet hic quoque secutum esse, nemo tamen ne suspicione quidem ipsas rationes potest adsequi: quae rationes ut haud minimi preti fuerint, cur tandem inter labra atque dentes latuerunt? Quapropter libro vixdum edito ego ira percitus Bekkeri de Luciano non bene mutilato volui rescribere. Hoc dum ago, illud Cobeti volumen Variarum Lectionum ad me perlatum est. Tum vero mihi rescripturo magnopere verendum erat, postquam recognitio Bekkeri Cobeto ludibrium debuerat, ne ἀθετήσεις quoque et obeli novi novorumque decuriae aliis inrisui forent. Hinc subito consilium mutavi, naturae meae reddidi debitum, ad indulgentiam pristinam et in erroribus aliorum ferendis lentitudinem reverti, memor fui dicti illius: „opinionum commenta delet dies“, idque tanto magis tenui, quo plus olim ipse adolescens ex optimis illis Bekkeri libris in re critica didiceram. Quin etiam ipse Bekkerus de obelorum suorum salute videtur pertimuisse. Dixerat enim praeter alios Dindorfius in Praef. ad Lucian. p. X, plures quam XII scriptiones in dubium certos homines vocasse, ceterum eos, quam gravibus causis in tali quaestione opus sit, usque eo nescivisse, „ut argumenta adtulerint partim nulla“: quibus verbis Bekker solus petitus erat. Quibus lectis Bekker, quoniam ipsum vox plerumque deficiebat, callidum consilium iniit,

ut tuendi sui causa voce uteretur aliorum. Ecce enim paucis mensibus post edita est Isidori Guttentag haec commentatio: „De subdito qui inter Lucianeos legi solet dialogo Toxaride“. Dicata est illa quidem A. Boeckhio et M. Hauptio, verum quaestio ipsa non ab his duumviris proposita erat sed ab uno Bekkero, id quod prima libelli verba testantur: „Toxarim dialogum — Bekkerus in subditicios retulit, et consensu philosophorum ordinis proposuit, ut investigaretur, primum aut abs quo aut certe tamen quando scriptus esset, deinde —“. Ac nemo aut Boeckhio aut Hauptio, quorum neuter Lucianum antea ipse tractarat, vitio vertere potest, quod cum editore Luciani consenserunt. Hi enim duumviri quum ipsi nullum librum evulgarunt nisi post diuturnam praemeditationem non aequalibus solum verum etiam posteris consulturi, tum eidem sciebant Bekkeri quoque libros olim fuisse optimos, postremo Lucianum e Samosatensi Berolinensem senile opus e prioribus Bekkeri operibus metiebantur. Contra Bekker non videtur reputasse, quanto cum periculo suo hanc quaestionem proposuisset. Quid enim futurum erat, si quis juvenis doctus docte ostendisset, Toxarim dialogum haud dubie genuinum esse, Bekkerum autem procul ab vero aberrasse? Neque enim fieri potuit, ut juvenis tali dissertatione tradita et ob doctrinae copias praemium acciperet et idem per causam arrogantiae ferret repulsam. Attamen eventus ad Bekkeri spem tam feliciter respondit, ut J. Guttentagius non dubitaret pro uno saltem ex tot Bekkeri obelis propugnare. Tametsi autem Guttentagii opera ad summam rei prorsus nihil arbitror profectum esse, tamen ejus libellum, qui neque disserendi subtilitate neque modicae doctrinae adparatu nec pura caret elocutione, praemio quodam haud indignum fuisse censeo.

Sed nunc, ut ait Flaccus, „amote quaeramus seria ludo“. Nam J. Bekker olim, quod equidem adhuc potuerim observare, spuris quoque recte notandis optimo cuique criticorum obsecutus velut in editione sua Platonis magnam quandam moderationem atque prudentiam exhibuit. Quid igitur Lucianus commiserat, ut subito in hunc unum tanta crudelitate inciperet saevire? Quanquam unius et item alterius obeli excusatio quaedam in eo posita est, quod eum critico Jacobiti adparatu oportuit esse contentum. Hinc enim multa vitia Luciano sane indigna, quae in aliis codd. emendata leguntur, omnium librorum communia et ipsius scriptoris propria esse opinatus non potuit non opusculum ipsum quasi spurium foras proicere. Equidem quo certius ab genuinis spuria distinguerem, potissimum haec firmiter tenere consuevi. Primum adolescens in Photii Bibl. c. 128 p. 96 ed. B. de numeris Luciani melle dulcioribus haec legeram: συνθήκη αὐτῷ οὕτως ἤρμωσται, ὥστε δοκεῖν τὸν ἀναγινώσκοντα μὴ λόγους λέγειν ἀλλὰ μέλος τι τερπνὸν χωρὶς ἐμφανοῦς φῶδης τοῖς ὡσὶν ἐναποστάζειν τῶν ἀχροατῶν. Paullo post ubi Philostrati „Vitas Sophistarum“ coepi evolvere, nullius temere vitam ab eo vidi expositam, quin de eorum numeris (τοῖς ῥυθμοῖς) iudicium ferret laudaretque alios, alios reprehenderet. Ita quod nondum ex ipso dispicere potueram, Photius primum me docuit, Luciani orationem esse numerosam, quam rem ex eo tempore nunquam neglexi sed esse putavi gravissimam. Ignorarunt autem totam hanc rem editores Luciani ad unum omnes in his J. Bekker, ignoravit ipse Valckenarius, qui ad Eur. Hippolyt. v. 415 et alibi numeros orationis quasi veri scilicet poematis in poetae comici versus transformabat. Enimvero Lucianei numeri plane sunt admirabiles et vel Isocrati numerorum post Thrasymachum parenti haud dubie antepoenendi, hoc est eis vitiis immunes, qui nunc in Isocrate latent neminem. Et quo quisque dialogus maturiori aetate confectus est, eo numeros exhibet meliores. Sciunt omnes duo dialogos, ut his utamur, alterum Ὀνειρος ἢ Ἀλεκτροῶν alterum nomine Κατάπλους eximios esse, ex quibus Catapulus mea sententia editus est, quum Lucianus annos natus esset circiter quinquaginta id est a. CLXX p. Chr. n. paullo post mortem Theagenis Patrensis philosophi Cynici. Utrique autem dialogo numeri insunt excellentissimi. Haec qui diligenter consideraverit, profecto concedat necesse est, eos dialogos

quorum oratio numerosa sit et qui numeros habeant Lucianeis ubique simillimos, vel propterea ab Luciano abjudicari nullo modo posse. Deinde Lucianus initio syriace locutus erat neque parentum diligentia inde a puero erat doctus et eruditus, neque graecarum literarum initia tanquam cum lacte suxerat nutricis. Quum enim adolescens demum ad graecos rhetoras (Smyrnam ut opinor) deductus graecismo atticismoque dare operam coepisset, mox rhetoricam profiteri, fictas causas declamitare et hujus generis scriptiones edere ausus est. At non ita multo post vidit, se in rhetorica, quae ars tum sane fuit fructuosa, vix operae pretium esse facturum. Quare ab rhetorica ad dialogos scribendos se contulit et eos maxime satyricos. Quumque diutissime vixerit, habemus et juvenis et viri et vero senis opuscula: scripsit enim ad extremam usque senectutem. Ita in ejus libris variae aetates ipsius vitae, varia etiam genera scripturae probe discernenda sunt. Facilitas enim sermonis, quae eum postea ornabat, in juvene adhuc desideratur, necdum numeri ejus satis exculti sunt. Omnes tamen recte consentiunt, declamationes *Φάλαρις α' et β'* similesque ab ipso profectas esse, id quod auctoritate constat Photii in cod. 128 init. p. 96. Quocirca ego si quem librum primo pro suspecto habuissem, postea autem ipsi tribuissem Luciano, nonnunquam usurpavi illum versum Flacci: „quo teneam voltus mutantem Protea nodo?“ Ergo si quis de Luciani libris partim genuinis partim subditis judicare voluerit, ei (ut optime Rankius l. l. p. 23) summa opus est diligentia et cautio. Atqui quod ad Bekkerum pertinet, nullus locus vel cautioni relictus erat in festinatione adeo praecipiti vel diligentiae in sene editore centum voluminum graecorum. Tum nihil opus est, qui Platonem et Aristotelem edat, magnum esse philosophum, qui historicos, ipsum quoque esse historicum, aut archaeologum, qui (ut Bekker indignante C. G. Siebelisio priori editore) Pausaniam edere audeat, aut qui Lucianum evulget, eum satyricum esse Liscovio haud inferiorem. Non, inquam, opus est, neque unus potest omnia, neque id requirimus. Illud potius requiritur, ut qui spuria ab genuinis discernere velit, eum nota certa ne deficiat, unde ratio sumatur judicandi. Ita nihil ille antiquius habebit, quam ut in ipsius scriptoris ingenium, tanquam in aliquod sacrarium studeat penetrare. Atqui id Bekkerum quum in nullo contigit scriptore, tum minime omnium in Luciano. Omnino enim Bekker quoscunque edidit, eos ad codicum normam regulamque revocavit, criticum et grammaticum egit vel in minutiis ut in usu vocularum *μέν* vel *ἄν* vel similium, denique semper in graecismum intentus verba sola respexit, res ipsas parum curavit. Atqui talis criticus spuria ab genuinis et a falsis vera vix ullo pacto potuit internoscere. Porro cum ipso Luciano comparandi erant potissimum Plutarchus, Dio Chrysostomus, Aelius Aristides, Maximus Tyrius, Artemidorus, cum spuriis autem libellis Aristaenetus et Alciphro, quos ille non videtur lectitasse, si tamen legere nihil est aliud quam edere. Neque enim hos edidit sed alios supparis illos quidem aetatis sed in nostra causa leviores, Appianum, Sextum Empiricum et Herodianum historicum. Denique Luciani atticismus finibus circumscribitur perangustis, certas ille notiones verbis certis et plerumque iisdem eloquitur et res quoque easdem saepe verbotenus iterat vel repetit etiam saepius. Hinc multas ex meis emendationibus, quas aliis jure probavi et quibus ego haud ita multum tribuo, ex ipso petii scriptore, cujus magnam partem teneo memoria comprehensam. At eximia quadam laude duo criticos mihi videor prosequi posse, Hemsterhusium atque Cobetum, qui quum non tantum temporis huic impendere satyrico potuissent, tamen plurimos locos ex ipso Luciano praeclare correxerunt. Contra ea Bekker nonnisi eos locos bene correxit, quorum graecismum ex aliis mutuari scriptoribus atticis potuisset, neque in tota Bekkeri editione ulla conjectura exstat, quam Bekker ex usu unius petierit Luciani. Quo magis licet mirari, unde hic criticus sibi visus sit exploratum habere, quid dignum Luciano esset quidve indignum. At, dixerit

• quispiam, J. Bekker criticus fuit graecae linguae longe peritissimus. Audio, idque con-

cedo pertinere ad miserum dialogum *Φιλόπατρις*, qui octo saeculis post Lucianum scriptus est, nego autem et pernego ad caeteros id spectare libros spurios, qui paullo post Lucianum compositi sunt. Quare non dubito adfirmare quod sentio et quod res est, Bekkerum neque quid dignum aut indignum Luciano esset scivisse, neque omnino de tantis rebus, quantae hic dijudicatione operum spuriorum continentur, recte potuisse judicare. Quodsi literarum honos id mihi poscere visus esset, eadem omnia vivo adhuc scripsissem Bekkero, cui exedendum esset quod sibi ipse intriverat. Nam hoc unum largior, alio modo istos Bekkeri errores haud inutiles fuisse. Praeterquam enim quod ipsa refutatio literis nostris proderit, eo saltem nomine Bekker laudandus est, quod pulchri venustique aliquem sensum habuit et intelligentiam. Complures enim libelli, quos ab Luciano scriptos esse pessime negavit, ab Luciano adhuc juvene compositi sunt. Ad quam rem demonstrandam exemplo utar luculento. Nam de parente libri *Νιγρίνος* ego ad Lucian. Vol. II P. II p. 50 haec scripseram tantummodo: „hunc dialogum ab ipso Luciano et eo juvene scriptum esse inter caeteros recte convenit: sed C. F. Rankius*) (Pollux et Luc. p. 23) itemque J. Bekker Nigrinum alius esse scriptoris opus inepte suspicati sunt“. Dolebam, quod Rankius in tantum errorem incidisset. Quanquam in illa ipsa commentatione hoc vitium magnis compensavit virtutibus. Nunc etsi taedet pluribus dicere de re aperta, tamen quoniam mihi cum Bekkero res est, vincam animum proferamque rationes. Namque *Νιγρίνος* et librum certo Lucianeum *Περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων* ab eodem scriptore confectos esse vel argumenti docet et tractationis similitudo. Idem utrobique est odium urbis Romae, quam valde inridet et execratur, par Graeculorum contemptio, qui divitibus Romae serviant, gemina honestae paupertatis laudatio, quae Croesi thesauris praefertur, denique similia sunt omnia. Quare Lucianus aut neutrum aut libellum scripsit utrumque. Prorsus eandem rem alio modo etiam Juvenalis et in quinta satura et in tertia bis tractavit, quas ambas ab eodem poeta profectas esse necesse est. Sin autem quis dixerit, alteram Juvenali vindicandam esse alteram alio transferendam verbi causa in Turnum, is in eodem luto haerebit et ab Juvenali ipso refelletur. Quodsi Bekkerus nosset Lucianum, facile animadvertisset in Nigrino ubique dictionem esse prorsus Lucianeam, id quod vel egregius ille Hemsterhusi docebit commentarius. Quanquam magni Batavi copias multimodis licet augere ut primis statim totius libri verbis: *Λουκιανὸς Νιγρίνον εἰς πράττειν* bene interpretandis. Nimirum et Nigrinus et etiamtum Lucianus erant Platonici, quorum usitatum ac prope constans salutandi genus fuit *εἰς πράττειν*. Quod quidem quum aliunde tum ex ipso Luciano Vol. III p. 325 et inprimis Vol. I p. 728 ed. Reitz. clare intelligi potest. Et hoc quidem non fugit Bernaysium (in l. Lucian und die Kyniker p. 88 sq.), qui vellem p. 89 Bekkeri nugis plane abstinuisset. Neque enim sano homini dubitare licet, quin *Νιγρίνος* dialogus ab Luciano ipso compositus sit. Ceterum fuerunt, qui hunc librum plus justo conlaudarent et admirarentur, quos male sequitur Groddeckius in Hist. graec. liter. II p. 155, ubi: „plurima Luciani scripta, inquit, aetatem tulere, in quibus praecipua sunt Somnium, Nigrinus —“. At juvenis viri opus non debuit tanta laude impertiri. Immo et dialogi compositio in Nigrino adhuc satis est aspera et vero numeri nondum bene perpoliti sunt, id quod Bekkerus quoque partim videtur sensisse. Et hoc illud est quod paullo ante dixi in dijudicando Bekkerum sensu quodam venusti non caruisse. Sequitur, ut ad libros vere spurios transgrediamur et seorsim de unoquoque disseramus: quam rem hic omittendam esse video et in aliud tempus differendam.

*) Verba Rankii haec sunt: „adeo Nigrinum sive de moribus philosophi alius esse scriptoris opus suspicor.“ Rationes ille nullas adtulit.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

- Dr. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim symbolicen comparativam, sive doctrinam ecclesiarum et sectarum secundum fontes symbolicos quinis diebus tradet h. XI; 2) privatim Apostolorum Joannis et Petri epistolas interpretabitur quinquies p. h. h. XII.
- Dr. Joannes Bachmann, P. P. O., h. t. Academiae Rector, 1) privatim: V. Testamenti vaticinia Messiana explicabit, quinquies p. h. hora IV; 2) privatim librum Jobi interpretabitur, quinis p. h. scholis hora III; 3) publice historiam regni Israelitici adumbrabit, bis p. h. horis definiendis; 4) publice homileticas in Seminario exercitationes moderabitur, die Lunae horis VI—VIII vesp.
- Dr. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem tertiam quinquies p. h. h. IX, 2) privatim historiam doctrinae protestantium quinquies p. h. h. X tradet et 3) publice in Seminario exercitationes catecheticas die Saturni h. XI et XII moderabitur.
- Dr. Ludovicus Theodorus Schulze, P. P. O., privatim 1) theologiam biblicam quinquies p. h. h. VIII—IX, 2) theologiam apologeticam quinquies p. h. h. IX—X docebit; 3) privatissime sed gratis exercitationes dogmaticas die Jovis hh. VI—VIII instituet.
-

In ordine juridico.

- Dr. Hugo Boehlau, P. P. O., 1) historiam juris Germanici docebit quinquies p. h. hora XII; 2) jus mercatorium et cambiale tradet sexies p. h. hora X; 3) practicum q. v. juris Germanici instituet binis p. h. horis definiendis.
- Dr. Carolus Birkmeyer, P. P. O., 1) jus criminale Germanicum tradet senis p. h. scholis diebus Lunae, Martis, Mercurii horis VIII—X; 2) conversatorium offert de jure criminali die Jovis horis VIII—X; 3) electa et difficiliora juris criminalis capita exponet die Veneris horis VIII—X.
- Dr. Franciscus Bernhöft, P. P. O., h. t. Decanus, 1) institutiones juris Romani tradet quinquies p. h. h. c.; 2) historiam juris Romani docebit quinquies p. h. hora XII; 3) practicum quod vocant civile instituet die Martis hh. V—VII.
- Dr. Guilielmus Kahl, P. P. O., 1) encyclopaediam juris universi docebit quater p. h. hora VII; 2) jus publicum Germanicum quaternis p. h. scholis tradet hora VIII; 3) privatissime sed gratis in usum theologorum exponet institutiones juris ecclesiastici bis p. h. horis adhuc definiendis.
- Dr. Ernestus Zitelmann, P. P. O., 1) doctrinam pandectarum excepto jure familiae et hereditario explicabit sexies per hebd. hh. XI—I; 2) exercitationes exegeticas instituet binis per hebd. horis definiendis.
-

In ordine medico.

- Dr. Hermannus Stannius, P. P. O., adversa valetudine impeditus nullas scholas habebit.
- Dr. Theodorus Thierfelder, P. P. O., h. t. Decanus, 1) pathologiam et therapiam specialem ternis diebus h. IX docebit; 2) de aegrotis policlinicis disseret horis definiendis; 3) exercitationes practicas in clinico medico quin diebus h. X moderabitur.
- Dr. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O., 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Jovis hora III—IV, 2) privatim physiologiae partem priorem (functiones vegetativas) quotidie hora IX—X tradet; 3) privatissime moderabitur exercitationes physiologicas per hebdomadem trinis horis.
- Dr. Guilielmus de Zehender, P. P. O., 1) ophthalmologiam ternis diebus hora IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. XII—I et dim. moderabitur; 3) cursum operationum, quae in arte ophthalmiatrica adhibentur horis definiendis reget.
- Dr. Fridericus Schatz, P. P. O., 1) de partu normali et enormi ter p. h. disseret hora IX; 2) operationes, quae in arte obstetricia adhibentur, ope corporum artificialium exercendas moderabitur bis p. h. hora VII; 3) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quinquies p. h. moderabitur hora VII.
- Dr. Fridericus Sigm. Merkel, P. P. O., 1) anatomiae systematicae partem secundam (angiologiam et neurologiam) organis sensus exceptis quaternis diebus h. XII—I docebit privatim; 2) histologiam generalem una cum exercitationibus practicis quater p. h. hora XI—XII moderabitur privatim; 3) anatomiam topographicam c. h. tractabit bis p. h. horis V—VII privatim.
- Dr. Carolus Gaechtgens, P. P. O., 1) toxicologiam et chemiam forensem junctam cum exercitationibus analyticis ter p. h. diebus Veneris h. VIII et Saturni h. VIII et IX privatim tractabit; 2) pharmacognosim quaternis diebus horis definiendis docebit privatim; 3) urinae chemiam physiologicam et pathologicam junctam cum exercitationibus analyticis tradet ternis horis p. h. privatim.
- Dr. Fridericus Trendelenburg, P. P. O., 1) chirurgiam specialem tradet ternis diebus h. IX—X; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico moderabitur diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. XI—XII, diebus Martis, Jovis, Saturni h. XI et dim.—I; 3) cursum quem vocant operationum chirurgicarum moderabitur horis definiendis.
- Dr. Albertus Thierfelder, P. P. O., 1) anatomiam pathologicam specialem quotidie hora VII docebit; 2) cursum anatomiae et histologiae pathologicae habebit additis demonstrationibus et exercitationibus cadavera rite dissecandi diebus Lunae, Mercurii, Veneris hora III—V.
- Dr. Julius Uffelmann, P. P. E., 1) de hygiene privata et publica quater per hebdomadem disseret privatim; 2) de hygiene quae vocatur scholari semel per hebdomadem disseret publice; 3) infantum morbos quater per hebdomadem tractabit privatim.

Dr. Guilielmus Brummerstaedt morbos mulierum quaternis p. h. horis definiendis tractabit.

Dr. Paulus Schiefferdecker, 1) privatim organorum sensuum structuram docebit bis per hebd.; 2) exercitationes embryologicas practicas bis per hebd. privatim habebit.

In ordine philosophico.

Dr. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., Academiae Senior, privatim ternis diebus h. XI Nubes Aristophanis explicabit. Praeterea in Seminario philologico regendo sodales docebit Plauti Trinumum et Persas Aeschylī bene interpretari.

Dr. Joannes Roeper, P. P. O., 1) privatim botanicae generalem exponet demonstrationibus exercitationibusque anatomicis et morphologicis illustrandam, senis diebus h. XI; 2) publice itinera botanica instituet, horis pomeridianis.

Dr. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim 1) Anthologiae graecae epigrammata selecta ter per hebd. interpretabitur; 2) Ciceronis ad Atticum epistolas ter per hebd. explicabit; 3) privatissime quater per hebd. de Geographis graecis minoribus eorumque scriptis et fragmentis disputabit.

Dr. Fridericus Guilielmus Schirmacher, P. P. O., privatim 1) historiam mediī aevi usque ad exitum generis Staufici enarrabit quinque diebus h. XII; 2) geographiam universalem tradet binis diebus h. XI; publice 3) Seminarii historici exercitationes moderari perget die Saturni h. XI et XII.

Dr. Henricus de Stein, P. P. O., 1) historiam philosophiae qualis recentioribus temporibus excolta est, quater p. h. diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris hora IV, 2) historiam paedagogicam, qualis inde ab renatis literis excolta est, ter p. h. diebus Mercurii, Jovis, Veneris hora V, 3) religionis philosophiam ter p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii h. III exponet.

Dr. Reinholdus Bechstein, P. P. O., 1) privatim syntaxin linguae theodiscae docebit quater per hebd. hora X; 2) privatim de vita et operibus poetae francogallici Molière disseret bis per hebd. hora IX; 3) exercitationes Seminarii Germano-philologici moderari perget, in quo Erec poema Hartmanni domini ab Aue et Goethii „Wahrheit und Dichtung“ tractabuntur.

Dr. Oscarus Jacobsen, P. P. O., privatim 1) chemiam organicam quinquies per hebd. docebit; 2) exercitationes experimentales in laboratorio chemico quinquies per hebd. moderabitur.

Dr. Hermannus Grenacher, P. P. O., 1) morphologiae animalium partem alteram, systema et anatomiam comparatam animalium vertebratorum amplectentem quinquies p. h. privatim tractabit; 2) exercitationes zoologicas et zootomicas quotidianas instituet privatissime.

Dr. Ludovicus Matthiessen, P. P. O., privatim 1) physices experimentalis partem primam docebit quinquies p. h. hora VIII; 2) exercitationes physices practicae instituet; 3) exercitationes Seminarii physici moderari perget.

Dr. Richardus Foerster, P. P. O., h. t. Decanus, privatim 1) grammaticam latinam docebit diebus Lunae, Martis, Jovis, hora VIII; 2) de historia, vestigiis, monumentis Athenarum disseret iisdem diebus hora IX; 3) Apuleii quae sunt de Psyche et Cupidine enarrabit die Veneris hora VIII; 4) artis plasticae monumenta explicabit die Veneris hora IX; 5) publice exercitationes Seminarii philologici moderabitur bis p. hebd.

- Dr. Martinus Krause, P. P. O., 1) privatim geometriam analyticam spatii diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris hora XII tractabit; 2) privatim mechanice analyticam diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris hora XI exponet; 3) publice exercitationes Seminarii mathematici die Mercurii hora XI et XII diriget.
- Dr. Fridericus Guilielmus Martinus Philippi, P. P. O., 1) privatim vaticinia prophetarum Hoseae, Joelis, Jonae, Habacuci ter p. h. explicabit; 2) privatim chrestomathiam sanscriticam O. Böhtlingkii bis p. h. explicabit; 3) privatim selectos linguae arabicae textus bis p. h. interpretabitur; 4) privatim grammaticam linguae aut chaldaicae simul cum interpretatione chaldaicarum V. T. partium aut syriacae una cum interpretandi exercitationibus bis p. h. tradet; 5) gratis societatem habebit grammaticam in qua interpretationi prophetarum Nahumi et Zephaniae bis p. h. praeerit.
- Dr. Hermannus Paasche, P. P. O., 1) privatim oeconomiae politicae practicam partem docebit quinquies p. hebdomadae h. VIII; 2) privatim de redditibus publicis disseter ter per hebdomadam h. VII; 3) privatissime et gratis exercitationes oeconomopoliticas moderabitur die Lunae h. VI et VII.
- Dr. Reinholdus Heinrich, P. P. E., 1) privatim chemiam agrariam bis per hebdomadam tradet; 2) privatim practicum agrario-chemicum quater per hebdomadam reget.
- Dr. Eugenius Geinitz, P. P. E., 1) privatim geologiam sexies p. h. tractabit; 2) utilium mineralium (carbonum, metallorum, salis) geologiam bis p. h. illustrabit privatim; 3) publice excursionibus geologicis semel p. h. horis pomerid. praeerit.
- Dr. Carolus Weinholtz privatim 1) artium liberalium qualitates diversas illustrabit; 2) educationis ideisticae elementa tradet.
- Dr. Julius Robert privatim 1) quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) de historia literarum franco-gallicarum medii aevi disseter quater p. h.; 3) variationes linguae gallicae a saeculo XII docebit quater p. h.
- Dr. Felix Lindner 1) privatim grammaticam linguae Anglicae historice enarrabit bis p. h.; 2) gratis carmen anglosaxonicum Beóvulf interpretabitur semel p. h.; 3) gratis capita selecta ex Bartschii libro: „Altfranzösische Chrestomathie“ tradet semel p. h.
- Dr. Hermannus Kretschmar socios homiletici seminarii cantica sacra docebit.

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis, **conclave iudiciiis academicis et secretarii** officii destinatum h. XI—XII quotidie patebit, **museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas velut Anglicam discendi facultas data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales ut gymnasticen publice profiteantur.

Summo academiae magistratu nunc fungitur

Joannes Bachmann, Th. Dr.

Praesidet ordini Theologorum **Fridericus Philippi, Th. Dr.**

Juriconsultorum **Franciscus Bernhöft, J. U. Dr.**

Medicorum **Theodorus Thierfelder, M. Dr.**

Philosophorum **Richardus Foerster, Ph. Dr.**